Nobilissime Vir,

Humanitatis et benevolentiae tuae indefessae memoria gratissima, quae a primo favoris tui momento ad ultimum vitae diem in animo meo vivet incolumis, suggerit mihi fiduciam quandam ingenuam ac liberalem et fundendi in sinum tuum fide et taciturnitate spectatissimum, gravissimam insignis injuriae ac infamiae querelam. Visum enim est tandem aliquando huius urbis magistratui, D.D. Snellij et Basedemanni ardentiori impulsu, triste atque exitiosum de nomine ac fortunis ~~meis~~ consilium inire: meque a rectoratu, quo iam per annos octo syncere ac fideliter, sine ulla mutationis suspicione aut voluntate, sum defunctus, promissi et meriti fide postgabita, ad aeternam famae et existimationis meae ignominiam praecipitare; eique imponere hominem quendam sexaginta annos, aut plus eo natum, qui se rectoratu Ultrajectensi, omnium celeberrimo, intra annum (ni fallor) quam inierat, dicitur abdicasse. Cuius indigni consilij atrocitate, tanquam improvisato fulmine percussus, tota mente exulo stupeoque: et cum me subdolis quorundam verbis, qui saepius a me rogati, ipsum hoc arcanum perfricta fronte celarunt, delusum esse recordor, quid mihi prius aut posterius faciendum sit, plane ignoro. Suadent tamen plurimi concives et fautores mei, tam insignem contumeliam tota mente atque animo meo exosi, ut ad Celsissimi Principis favoris asylum, quod tua fideli opera et commendatione mihi facile apertum iri credunt, velis remisque confugiam: cuius fidem et auxilium ad rem meam constabiliendam, et malevolorum improbitatem retundendam, supplex imploro. Quod an mihi facere liceat, tuam Amplitudinem, quia per negotia scholastica coram non potui, per epistolam, modestiorem fortasse, quam doloris magnitudo postulabat, volui percontari: et vehementer etiam atque etiam rogare, ut honori

meo

meæ, si per literas molestus fuerit, coram digneris renunciare, quid mihi in hac re faciendum pro tua prudentia singulari suadeas et horteris. Vale Vir Nobilissime, et me fideli tuo patrocinio ab omni ignominia immeritâ conserva ac defende. Dab. Bredæ 24. May. Ao. 1646.

Nobiliss. Amplitud. tuæ
cultor observantissimus
Adrianus Bubbenius.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bubbenius) 1
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4360

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bubbenius) 1
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4360

Nobilissimo, Amplissimo,
Clarissimo, prudentissimo viro,
D. Constantino Hugenio,
Equiti, Dno in Sulichen, et illustriss. Principi
Auriaco à Secretis.

Hagam Comitis

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bubbenius) 1
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4360